



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Ratio conseruandæ vocationis ab eo instituta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

do præerat, Ioannem, quoties secum de hoc suo decreto tractaret, solitum promittere, conaturum se euadere in eximiè sanctum; quòd diceret nempe, fieri non posse, quin tantis, quanta sunt in Societate, præsijs ad summam absolutamque sanctitatem pertingatur; se verò, quoties ab eius colloquio discederet, abijisse persuasum, aliquando Ioannem, sic vt dicebat, sanctum reuera fore, quòd tanta, cum id pollicebatur, fidentia constantiaque esset promittentis. Et quoniam verebatur vocationis beneficium amittere, si vel tantillum feruor ille relanguisset, quem tum illi Deus iniecerat, illum suum conscientia moderatorem, solito sæpius frequentabat, omnem noxiam consuetudinem subterfugiebat, numquam stas preces, solitave pietatis officia intermittebat; atque vt beatissimæ Virgini vocationis hoc beneficium referebat acceptum, eandem, id sibi vt perpetuaret, impetraretque eius persequendi gratiam, obnixè precabatur.

Ratio conseruanda vocationis.

Parentibus propositum suum indicat. Cum ad decimum ferè & septimum ætatis annum attigisset, seu vt quamprimùm Deo sese consecraret, seu ne parentes frustra quidquam de se statuerent, decreuit suam illis voluntatem indicare litteris, simulque significare, factò abs se voto id propositum esse sancitum. Hac autem formulâ eas litteras signa-